



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Abbate sancti Panthaleonis in Colonia, qui fratri carnali pecuniam  
ecclesiae suae tribuens, depauperavit, cap. 36

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

quam de facto sui confessoris territus, in crastino redijt, & confessionem iteravit, penitentiam condignam suscepit & egit. Vides nunc quantum valeat prudentia confessoris? Si imprudens confitens tali modo non fuisset territus, fortassis nec esset iustificatus. Audi & aliud exemplum, quantum confitentibus prodest consilium bonum.

## CAPVT XXXVI.

**I**N monasterio sancti Panthaleonis in Colonia Abbas quidam fuit, fratrem habens eiusdem civitatis concivem, quem carnaliter diligens, saepe pecuniam monasterij illi occulte largiebatur, quam propriae substantiae admiscens, & in ea negotias, quocumque perrexit, semper cum damno redijt, factaque est ei, licet non adverteret, monasterij pecunia, tanquam ignis, & substantia propria quasi stipula. Et cum esset in mercationibus satis gnarus, atque circumspicior ceteris suis sodalibus, illorum prosperitatem suumque dispendium mirari non sufficiebat. Compassus eius infelicitati Abbas, cum semper ei daret, & ille non proficeret, imò semper minus haberet, tandem ad paupertatem devenit. Cui Abbas, quid est frater quod agis? quare tam viriliter consumis substantiam tuam ad confusionem tuam atque meam? Respondit ille: Valde parca viuo, mercatum meum diligentissime custodio, & quid sit quod circa me agitur penitus ignoro. Tandem in se reuersus venit ad sacerdotem, ei omnia circa se gesta aperiens per confessionem. Cui dixit sacerdos: Vtere consilijs meis, & cito diues eris; pecunia fratris tui furtum est, & ipsa substantiam tuam deuorauit; de cetero nihil recipias ab eo, & de modico, quod adhuc superest, negociare, videbisq; manum Domini super te bonam; quicquid autem lucratus fueris, medietatem fratri tuo reddes, de reliquo tu viues, & hoc tam diu facias, donec omnem pecuniam monasterij tibi datam illi restituas. Mira clementia Dei, obediens homo confessoris sui consilio, in breui adeo ditatus est, ut & ipse abundaret, & fratri recepta restitueret. Cui cum Abbas diceret: Vnde tibi iste diuitia frater?



frater? respondit: Quamdiu substantiam fratrum tuorum recepi, semper pauper & miser fui, & tu grauius peccasti, non tua mihi largiendo, ego verò aliena recipiendo: ex quo enim de his poenitui, & furtum abhorruui, benedicente Domino abundaui. Ecce quantum valeat consilium bonum in confessione. Simile aliquid legitur in vitas patrum. Dicam tibi adhuc exemplum quod mihi retulit Hermannus Decanus Bonnenfis, asserens etiam se audisse a sacerdote cui contigit.

## CAPVT XXXVII.

**D**VO ciues Colonienses, inter cetera sua peccata, confessi sunt duo peccatorum genera, quae quidem in se valde sunt magna, licet propter usum, mercatoribus maximè, parua videantur & quasi nulla, mendacium scilicet atque perjurium: Domine, inquiunt, penè nihil possumus emere, nihil vendere, nisi oporteat nos mentiri, iurare, & saepe peierare. Quibus cum diceret plebanus, peccata ista valde sunt graua, & a Salvatore prohibita, ipso dicente: Sit sermo vester, est, est; non, non. Responderunt: Non possumus hoc praecipuum in negotiationibus nostris custodire. Atque sacerdos: Vrimini consilio meo, & benedicet vobis; nolite mentiri, nolite iurare, sicut mercatum vestrum dare vultis, sic ipsum laudate. Et promiserunt ei, quia tentare vellent vno anno; hoc enim petiuit. Impediente eos satana, qui semper salutem humanam aduersatur, penè nihil anno illo vendere potuerunt; reuersique anno euoluto ad suum plebanum, dixerunt: Obedientia huius anni multum nobis fuit damnosa, homines à nobis desuunt, nec aliquid sine iuramento vendere possumus. Tunc dixit sacerdos: Nolite timere, quia tentatio est, fixum tenete in corde vestro, quod nulla aduersitas, nulla etiam paupertas, vos a tali bono proposito auertat, & Dominus vobis benedicet. Promiseruntque ei, Domino inspirante, quia custodire vellent eius consilium, & diuinum praecipuum per omnes dies vitae suae, etiamsi oporteret eos mendicare. Mira res; statim Dominus immif-

*Matt. 5.*